

non jam sibi sed custodiae monasterii vigilanti, formam præ se ferens vetulae cujusdam, fronte rugis deformata. Videns illam Joseph, et non agnoscens, vehementer expavit propter nocturnos timores, et exclamans ait: Quid est hoc? At illa: Ego sum custos hujus monasterii, sicut multo jam tempore fui. Cognoscens ille vocem ejus, cujus faciem non noverat: Tune es, inquit, o Rosa! Sic enim ex multa familiaritate, suppresso ejus nomine, eam appellare solebat. Illa respondente: Ego sum, stupefactus Joseph: Quid, inquit, sibi vult, quod rugosa anus vultum sumpsisti? Respondit illa: Talis ego oculis appareo tuis, qualem me fixisti in animo tuo. Jam enim tibi vetula sum. Ubi est illa representatio gaudiorum meorum? Ubi salutationis angelicæ jucunda commemoratio? Ubi ille devotionis fervor? Ubi cætera spiritualia exercitia, quæ mihi hactenus obtulisti, quibus et ego tibi, et tu mihi juvenis reddebaris? Nolo equidem, ut prætextu custodiendi monasterii, intermittas servitium meum, quandoquidem ego multo melius illud custodiam. Correctus juvenis castigatione severa, tanta custodi curam monasterii deinceps decrevit committere, et tam se, quam Dominam suam ad pristinum revocare juventutem, ejus commemorandis gaudiis et angelicis salutationibus recitandis. » Quod si, ut vidimus, Deipara vultum suum contrahit et obnubit servis suis, qui umbram terræ seu peccati alicujus vel modicam ipsi opponunt; quanto magis, si grandem incælum usque projiciamus? Quid enim aliud fiet, nisi ut luna illa tota nobis obscuretur, et faciem suam a nobis prorsus avertat? Arcam illam fœderis non solum Christi Domini, sed etiam sanctissimæ Matris ejus typum fuisse volunt S. Damascenus, carm. de annuntiat. Sanctus Bernardus, ser. de Beata Virgin. tom. II. S. Bonavent. in speculo, c. IX. At vero quis ignorat arcam illam in Hebræorum castra adductam contra Philisthæos, non modo eos non juvisse aut defendisse in prælio, sed potius hostium gladiis permisisse, ita ut cæderentur ex ipsis

30000. peditum, quin et arca Dei caperetur: et (quod immediate adjungitur, quasi cladis) duo quoque filii Heli, Ophni et Phinees, in prælio occiderentur? Quia enim sacrilegi isti duo arcæ custodes erant, eamque in castra advexerant, majorem Israelcladem ex arcæ præsentia passus est, quam prius in ejus absentia. Ita sentit Theodoretus, orat. I. in Dan. « Nam postquam Ophni et Phinees, (inquit) Heli sacerdotis filii et impii et detestabiles, ea (arca) secum assumpta ad suppetias cognatis ferendas exiere, redarguit ipsorum impietatem Deus, nullaque eos providentia dignatus, digna cæde interficiendos curat, etc. » Jam si arca lignea, non nisi umbra Deiparæ, vultum tam funestum et horridum ostendit Hebræis, propter eorum peccata, qui eam in maxima veneratione habere debuerant; quid mirum si hoc idem faciat vera illa et viva arca Christianis, qui cum ejus cultores esse deberent, impiatores sunt et hostes?

Vidimus Deiparam jure optimo a Spiritu sancto lunæ comparatam, adeoque eam vere orbi christiano esse, quod est terræ luna. Superest ut eam velut cœli reginam omnes peculiari cultu veneremur, atque in nostris necessitatibus invocemus, velut nostram inter nos et Christum mediaticem. Luna inter terram et solem media intercedit: Maria inter nos et Christum, et si ob demerita nostra ad solem illum justitiæ accedere non audeamus, non vereamur accedere ad lunam misericordiæ, ut per ejus interventum æstus solis illius non nihil temperetur. Sane Judæis præceptum fuit, ut festum neomeniæ seu novæ lunæ celebrarent singulis mensibus, Num. XXVIII. Ecce nos non celebremus, et quidem majori jure ac solemnitate, festum exorientis Deiparæ, quæ pulchra est ut luna, et longe potentiores in nos influxus habet per gratiam, quam luna illa per naturam? Faciamus ergo reginæ nostræ singulis noviluniis seu mensibus sacram placentam ex adipe frumenti, panem eucharisticum post exactam confessionem, devote sumendo, etc.

## IN FESTO S. THOMÆ APOSTOLI.

EVANGELIUM. JOAN. XX.

Cum sero esset die illo una sabbatorum, et fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum, venit Jesus et stetit in medio, et dixit eis: Pax vobis. Et cum hæc dixisset, ostendit eis manus et latus: gavisissimi sunt ergo discipuli, viso Domino. Dixit ergo eis iterum: Pax vobis. Sicut misi me Pater, et ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflavit et dixit eis: Accipite Spiritum sanctum: quorum remisistis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt. Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Jesus. Dixerunt ergo ei alii discipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum in latus ejus, non credam. Et post dies octo iterum erant discipuli ejus intus, et Thomas cum eis. Venit Jesus januis clausis, et stetit in medio, et dixit eis: Pax vobis. Deinde dixit Thomæ: Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum, et noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit Thomas, et dixit ei: Dominus meus, et Deus meus! Dicit ei Jesus: Quia videristi me, Thoma, credidisti: beati qui non viderunt et crediderunt. Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt, ut credatis quia Jesus est Christus Filius Dei: et ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus.

### CONCIONES.

- I. Multiplex fides imperfecta.
- II. Qui et quando potissimum profitenda.
- III. Incredulitas S. Thomæ quamobrem in Ecclesia ponatur.
- IV. Motiva contritionis, desumpta ex gravitate peccati, quatenus est contemptus Dei.
- V. Commendatur frequens communio.
- VI. Dispositio requisita ad s. communionem.
- II. Documenta.
- III. Mystera.

#### CONCIONES AUCTARII.

- I. Plures in mundo Didymi.
- II. Quinam pertinaces Thomæ assectæ.
- III. Christus quomodo Dominus noster et Deus noster peculiari titulo.
- IV. Fides melior ac beatior quam scientia et sensum notitia.
- V. Quomodo excipiendus in s. communionem Christus verbis S. Thomæ.

### CONCIO I.

#### MULTIPLEX FIDES IMPERFECTA.

Fides modica — II Fides inanis. III. — Fides mortua. — IV. Fides ficta. 1. Catholicorum. 2. Politicorum.

#### THEMA.

Noli esse incredulus, sed fidelis. Joann. XX.

Tam multa et tam gravia habemus fidei nostræ testimonia præ omnibus Christianis, qui nos

præcesserunt, ut verear vehementer, ne si adhuc in aliqua incredulitate deprehendamus, vel non credamus sicut oportet, ab auctore mundi gravius inde judicemur. Ut hoc dicam, moveor a sacris litteris primo, quia si apostolus ad Rom. 1. gentes dicit inexcusabiles, eo quod Deum, quem in creaturis agnoscere poterant, vel non agnoverint, vel agnitum non coluerint, quis excusabit nos incredulos, qui in fidei die tam claro ambulamus? Secundo, Num. XIV. postquam per



exploratores suos Israelitæ lustrassent terram promissionis lacte et melle manantem, ejusque aliqua indicia viderent, nihilominus tamen in sua permansissent incredulitate, et regredi in Ægyptum cogitassent, tam acriter a Deo reprehensi et castigati sunt, quantum antea nunquam. Dicebat enim Dominus: *Quousque non credent mihi in omnibus signis, quæ feci coram eis? Feriam igitur eos pestilentia atque consumam.* Sed exoratus a Moyse, remisit pœnam, juravit tamen se neminem introducturum in terram illam, præter Josue et Caleb, qui soli non diffidebant. Denique, Marci ult. paulo antequam ad cœlos abiret, Dominus exprobravit incredulitatem discipulis, eo, quod his, qui viderant eum resurrexisse, Petro, Magdalene, discipulis euntibus in Emmaus, cæteris item congregatis non crediderant. Jam vero quis est qui nesciat, quanta nos habeamus fidei etiam nostræ et quam invincibilia argumenta? Nonne habemus apostolos exploratores terræ illius sanctæ, id est, Christi: et inter illos præcipue S. Thomam, qui digitis suis palpavit ejus sacram et gloriosam resuscitati carnem? Nonne illi duodecim rudes et inermes velut medicum fermentum totam mundum fermentarunt, perditissimum inquam mundum? Nonne innumeros habemus martyres, qui sanguine suo fidei nostræ subscriperunt? Nonne infinita pene miracula, quæ negare non nisi insanus potest? Nonne continuam summorum pontificum successionem? Nonne invictam Ecclesiæ Romanæ consistentiam? Nonne fidei per totum orbem dilatationem, et totius orbis per annos 1700. consensum: *Cui quisquis se opponit, inquit Augustinus, lib. XXII. de civit. c. V. monstrum est?* ut alia plurima taceam. Quæ si recte perpenderemus, nullus omnino inter nos Thomas, nemo incredulus, nemo dubitans esse deberet. Omnes exclamare deberemus cum Thoma jam fideli: *Dominus meus, et Deus meus!* et cum S. Augustino: *Firmissime credo et nullatenus dubito, quicquid credit et credendum proponit Romana et catholica Ecclesia.* Sed heu nihilominus adhuc multi reperiuntur Thomæ, imo longe magis increduli, ne dicam ethnici, Judæi, hæretici, sed etiam catholici, qui tametsi fideles haberi volunt, veram tamen fidem, vel non habent, vel certe imperfectam et inutilem habent. Quibus absque dubio timendum est, ne gravius damnentur, quicumque infideles, nisi respiscant. Hoc igitur ne nobis eveniat, videamus, ne inutiliter credamus.

I. Reperitur fides modica, Matth. VIII. et hæc duplex, prior aliqua tantum, non omnia, et fere sola faciliora credit. Talis erat in discipulis navigio periclitantibus, quando Dominum excitarunt,

ut sedare tempestatem, quasi dormiens eam vel nescisset, vel sedare non potuisset. Talis etiam in regulo illo, qui credebatur Dominum præsentem posse sanare ejus filiam, non vero absentem, ideoque rogabat ut descenderet, etc. Talis et in Martha secundum Chrysostomum, Euthymium et alios, quæ putabat festentem et quatruiduanum Lazarum excitari jam non posse. Talis denique in Thoma, qui de Christo cætera credebatur, solam ejus resurrectionem non credebatur. Fidem illorum discipulorum habent, qui dum vident tam multa mala in mundo impune fieri, justos tribulari, injustos prosperari, etc. putant Deum vel dormire, eaque non videre, vel omnino Deum non esse: fidem reguli qui putant abbreviatam esse manum Dei, nec ita nobis mederi posse, quam cum coram aderat in terris: fidem Judæ, qui putant majorem esse iniquitatem suam, quam ut veniam mereantur. Qui omnes Dei gloriæ detrahunt. Proinde nec mirum, si illis eveniat, quod credunt; ideoque illis dicat Christus, quod duobus illis cæcis dixit, Matth. c. IX. *Secundum fidem vestram fiat vobis.* Qui si non credidissent posse se sanari ab eo, sanari utique non essent: fidem Thomæ habent, qui aliquos tantum fidei articulos sibi persuadere nequeunt, cætera vero omnia se credere affirmant, idque sibi sufficere putant. Quibus tamen dicendum, eos fidem quæ est donum Dei et ad salutem necessaria, omnino non habere; quam si haberent, omnes fidei articulos crederent. Sicut enim visus pro objecto habet omnes colores, ita fides omnem veritatem revelatam. Unde qui dicit se credere fidei divinæ omnes articulos fidei, præter unum et alterum, perinde est ac si dicat, se videre posse omnes colores præter viridem et cæruleum. Uti enim diceremustalem omnino cæcum esse: sic et illum dico, fidei prorsus carere. Certe S. Thomas unicum tantum articulum resurrectionis non credebatur, et tamen a Christo audit: *Nobis esse incredulus, sed fidelis.* Ergo quamdiu illum unicum tantum articulum non credidit, incredulus fuit, fidelis non fuit; et si in illa incredulitate mansisset, haud dubie periisset. Nemo igitur se decipiat, quasi satis ei sit futurum, si pleraque et non omnia credat, quæ credenda sunt. Ratio vero ulterior est, quia qui credit, primæ veritati revelanti credere debet, ergo omne id quod revelavit primæ veritas. Alioquin non crederet primæ veritati, sed proprio sensui tantum et iudicio. Unde hæretici fidem non habent, quia ratio cur credant, non est divina revelatio, sed eorum sensus est persuasio; credunt enim quæ volunt.

Altera est fides firma et nutans, quæ modica tentatione expugnatur, qualis erat in Petro super

undas vacillante et mergi incipiente, necnon in eodem Christum negante, et in discipulis, cum Domino patiente scandalum passi sunt. Similes Petro vacillanti sunt, qui ob levem tentationis ventum a fide vel virtute resiliunt, similes neganti sunt, qui ob timorem alicujus probrum vel irisionis non audent inter hæreticos, se catholicos profiteri. Similes discipulis scandalizatis, qui propter vitia ecclesiasticorum scandalizati vel levem ob persecutionem, fidem abnegant. Contra fideles veri fidei magnam habent, uti Chananaea cui Dominus: *O mulier magna est fides tua, quia credidit Dominum gentibus etiam porrecturum manum, licet ipse Judæus esset: centurio, qui etiam absentem Dominum sanare posse credidit, cui proinde Dominus: Non inveni tantam fidem in Israel.* Atque hæc est fides illa, quam grano sinapis similem ait, et commendat Dominus, Matth. XVII. *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic monti: Transi huc illuc, et transibit.*

II. Reperitur fides inanis, I. Corinth. XV. et hæc item duplex est, alia dormiens quodammodo; quæ hominem a vitiis non revocat, sed contra fidei præscripta vivere sinit, velut si dominus lascivire famulos, vel ludimagister tumultuari sinat discipulos. De hujusmodi domino vel magistro dici potest id apost. I. ad Tim. V. *Si quis suorum maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior.* Si enim Christianus dormiat, tumultuantibus in se passionibus convivendo, infideli est deterior, quia infidelis non habet ejusmodi legislatorem, fidem, quam rectam ei vivendi normam præscribat, fidelis habet. Sic et medicus qui contra artis suæ præscripta vivit, et se quotidie inebriat, atque ita sibi vitam præscindit, magis est culpabilis, quam qui præscripta medicorum nescit. Talis vero est Christianus, qui aliter vivit, ac fides eum docet: igitur parum vel nihil valet, sed neque fidelis appellandus esse videtur. Nam si dicam tibi: Ne bibas ex hac aqua, quia infecta sit, tu interim nihilominus bibas; nonne convinceris fidem mihi dicenti non habere? Jam vero fides tibi dissuadet peccata, eaque asserit venenata esse, necemque afferre perpetranti: tu nihilominus perpetras, ergo non videris credere, quod credendum esse fides dicat. Unde S. Bern. serm. II. de octava paschæ ait: « Putasne illum Christum credere, quisquis ille est, qui ipsius nec terretur comminationibus, nec attrahitur promissionibus, nec præceptis obtemperat, nec consiliis acquiescit? Nonne is, etsi fateatur se Deum nosse, factis negat? » Hæc ille. Contra veri fideles fidem vigilantem habent, qui fide stant, juxta id apost. I. Cor. I. *Fide statis:*

et I. Cor. XVI. *Vigilate, stete in fide;* videlicet instar vigilum perpetuo advigilantes, ne quid contra fidei præscripta committant, sed ex præscripto ejus operentur, sicut ad Rom. I. dicitur: *Iustus ex fide vivit,* quomodo scilicet ex præscripto medicinæ suæ vivit prudens medicus.

Alia est otiosa et mere habitualis, quæ nunquam aut rarissime in actum prodit, estque in illis, qui tametsi multa laudabilia et justa opera perficiunt, non operantur tamen ex motivo fidei, sed vel ex motivo temporali, utilitatis provenientis, laudis, honoris, amoris, etc. et proinde nullos veræ fidei actus exercent. Habent ergo fidem habitualement tantum, sicut infantes baptizati, fatui, vel dormientes, quibus etsi habitualis illa fides a Deo infusa sufficit, non tamen sufficit homini adulto, rationis compoti et vigilantanti. Cum enim fides sit donum Dei, eo debemus uti, ne eveniat nobis quod servo illi, qui talentum suum abscondit in terra, vel sudario, nulloque lucro auxit. Quid enim diceret de illo artifice, qui instrumenta artis suæ semper domi reclusa habet, et nunquam iis operatur? *Iustus ex fide vivit,* inquit apostolus, id est, ex fidei exercitio, sicut artifex ex artificio, et usu artis suæ. Quid diceret de illo milite, qui gladium semper in vagina conditum gerit, nunquam contra hostem exerit? Certe Cant. III. dicitur, sexaginta fortes circumstetisse lectulum Salomonis, omnes tenentes gladios, præterea, unumquemque habuisse gladium super femur suum, in vagina reconditum. Quæ re indicatur Christianum non solum debere fidei gladium gerere in vagina per habitum, sed etiam in manu per actum et fidei exercitium. David non tantum habuit quinque lapides in pera, sed præterea misit manum in peram, et tulit ac jaculatus est, I. Reg. XVII. Ita semper vel sæpiissime saltem in manu etiam gestandus est fidei gladius: mittenda subinde manus in peram fidei, indeque jaculandum contra hostes. Pictor semper intuetur ideam ejus rei, quam depingit: ita semper ex motivo fidei operari deberemus. Sic enim apostolus ad Hebr. XI. ait, veteres patres mirabilia patrasse per fidem, dum semper in Dei promissa intenderent. Similiter ergo cum opus pietatis peragimus, cum peccatum aliquod fugimus, semper ad fidei præscripta nos referamus: veluti ad Dei omnipræsentiam, quæ omnia cerere fidei docet; ad Dei justitiam quæ bona remunerabit, mala puniet æternum; ad Christi merita, ad fidei regulas, ad Ecclesiæ directionem, etc. In specie, v. g. cum oramus, cogitamus Deum præsentem et inspectorem, et quod promiserit se orationes nostras exauditurum. In adversis cogitemus magnam fore patientiæ mercedem: cum damus eleemosynam,



Deum id tamquam sibi datum, acceptum habiturum: cum jejunamus, nos id facere velle ad exemplum Christi, et ut Ecclesiae debitam praestemus obedientiam, velut boni ejus filii. Incitatis ad peccatum? Cogita si id fecero, perdam Dei amicitiam, debeo reddere rationem, faciam me gehennae filium per brevissimam voluptatem, etc. Sed o quam pauci ad hoc attendunt? Testis vita nostra, quae longe alia esset, si a fidei norma dirigeretur: testis item, studium rerum humanarum, amor divitiarum, honorum consequendorum cura insatiabilis, neglectus divinorum, fastidium virtutis et salutis capessendae, consilia et colloquia de rebus inanibus et sceleratis. Patet res exemplis. Confiteris, communicas ex consuetudine, vel pudore, ne parum Christianus videaris. Abstines a carne et labore diebus interdictis, cur? Ne contra faciens puniaris. Eleemosynam praebes, ob petentis importunitatem; mutuam das ob lucrum tuum solummodo; aegritudinem aliamve crucem toleras, quia excutere non potes; filium religioni offers, non ut perfectionem assequatur, sed ut ab eo libereris, vel emolumentum capias; jus alteri dicis et reddis; mutuam solvis non amore justitiae christianae, sed quemadmodum judex ille qui viduae jus invocanti jus dixit, non quia Deum aut homines timeret, sed ne tandem ab illa sugillaretur et confunderetur, Luc. XVIII. Unde ibi. subjungit Christus: *Cum Filius hominis venerit, putas inveniet fidem in terra?* Veri igitur fideles fidem habent operantem et opera virtutem impetrantem. Quemadmodum Hercules nunquam de manu deposuit clavam, sic veri Christiani fidem semper in manu gerunt omniaque ex ejus praescripto agunt.

III. Reperitur fides mortua in epist. Jacobi II. Et haec item duplex est: una quae operibus caret, altera quae charitate. Utraque significatur per lampades fatuarum virginum: eae enim carebant oleo, bonorum scilicet operum: et praeterea lumine, charitatis scilicet et gratiae, juxta expositionem S. Hier. Habent igitur alii vas fidei, sed non habent ignem charitatis: lampadem extinctam habent, si fideles quidem sint, in peccato tamen mortali constituti, quales sunt inter fideles, usurarii, fures, scorta, et quicumque in statu peccati mortiferi. Vita enim fidei est charitas, qua deficiente mortua est, cadaver est, nec potest salvare hominem, sicut nec equi cadaver portare aliquem potest Romam. Unde quod S. Jacob. c. II. de fide sine operibus dicit, mortuum scilicet esse, id ipsum etiam de fide sine charitate dicendum. Qui enim ait apostolus? I. Cor. XIII. *Si habuerit omnem fidem (ait) ita ut montes transferam,*

*charitatem autem non habuero, nihil sum. Sed etiam si opera cum fide habeas, gratiam autem non habeas, adhuc inutilis tibi erit fides. Sequitur enim statim: Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Irridendi proinde sunt illi Christiani, qui fide mortua contenti, gratiam Dei non curant vel acquirere differunt: sicut qui toto die sederet super equum ligneum vel mortuum, Romam equitare cupiens. Recte enim ait S. Augustin. lib. XV. de Trinit. cap. XVIII. *Fides juxta apostolum sine charitate esse potest, prodesse non potest.**

Habent alii vas fidei, habent et ignem gratiae, quem vel in confessione, vel alio sacramento accenderunt in cordibus suis; sed num id satis? Fideles sunt, in gratia sunt; annon hoc satis? Nondum satis; oleum subinde affundi, oleum accedere debet bonorum scilicet operum, ut ignis gratiae foveri et conservari possit; quod alias si diutius absit, ignis cito extinguetur. Unde Chrysost. hom. XVIII. operis imperf. ait: *Sicut lucerna non quidem ex oleo accenditur, sed per oleum nutritur, sic fides, non quidem ex opere nascitur, sed per opera nutritur.* Item ut omnimodam suam perfectionem consequatur quae consistit in operando. Unde idem Chrys. hom. XXV. ait: « Sicut quamdiu radix est viva, necesse est, ut aut ramos producat aut folia: si autem non produxerit, sine dubio intelligis, quod radix ejus in terra siccata est: sic quamdiu fides cordis intra est, semper germinata. » Similiter fere Theodoret. serm. XII. de Graece affect. cur. in princ. ait: « Sicut arbores suis radicibus innituntur, et ab eis alimentum percipiunt, et iterum rami, folia, fructus ornant radicem, et radix inutilis esset nisi haec adessent: ita fides semper ornanda est operibus. » Haec ille. Itaque ex horum sententia verissima, sicut arbor producere debet folia, flores, fructus, alioquin mortua reputabitur: ita fidelis quisque, nisi fructus bonorum operum proferat, quando saltem praecipuum aliquod urget fidem si non mortuam saltem brevi morituram habet. Qui autem ejusmodi arbori infructuosae competat, Dominus dixit, cum eam succidi, et in ignem mitti jussit, quidquid igitur garriant haeretici: *Filioli mei nemo vos seducat, inquit, I. Joan. III. Qui facit justitiam, justus est, sicut et Christus justus est: et apost. Jacob. c. II. Sicut corpus, inquit, sine spiritu mortuum est; ita et fides sine operibus mortua est.* Non quod fides sine operibus fidei naturam deperdat, et fides non sit, sed quod sine operibus viva non sit. Propterea corpori mortuo, non homini mortuo fidem mortuam corpo-

rat. Corpus enim mortuum manet corpus: sed homo mortuus, non est amplius homo. Aqua viva dicitur, quae fluit et movetur, mortua vero, quae in paludibus stagnat. Fides viva, aqua viva est saliens per bona opera in vitam aeternam. Fides mortua palus est. Accedit S. Gregor. in hod. homil. quae est XXVI. in evang. ubi ait, nos signatos esse per eos qui non viderunt et crediderunt: *Sed si fidem nostram operibus sequimur. Ille etenim vere credit qui exercet operando quod credit.* Haec ille.

IV. Fides ficta reperitur, I. Tim. I. et haec etiam bifariam dividi potest. Primo, alia est eorum qui cum catholici haberi velint, quia eorum legibus et ritibus vivunt, externe tamen quando fert occasio, quando extra periculum et inter haereticos sunt, cum lupis ululant, jejuniorum diebus carnes vorant, haereticos laudant, catholicos doctores praesertim et clericos vituperant, haereticorum conciones audiunt, haereticos libros domi pertinaciter retinent et legunt. Et quid de istorum fide tenendum est? Ego sane fictitiam arbitror et stramineam: *Vox quidem vox Jacob, manus autem Esau.* Quid enim sentimus de illo duce, qui dum a Caesareanis copiis premitur et in angustias redigitur, Caesareanum se profiteatur: mox vero ubi dimissus et elapsus est ad suos, rursus in Caesarem arma sumit, ejusque hostibus se conjungit? Annon Caesaris hostem dicemus? Atque hoc idem faciunt in aperto quidem, qui dum inter catholicos sunt, more catholicorum vivunt, clanculum tamen, cum ad haereticos diverterint, more illorum degunt, catholicos ergo dicemus? Imo haereticis leviores sunt. Isti enim ne religioni suae adversentur, ritibus nostris non facile communicant. Tametsi enim templum nostra ingrediuntur aliquando, non videntur tamen cruce se signare, genua flectere, levare manus, etc. (licet haec omnia laudabilia opera sint) idcirco tantum ne videantur communicare nobiscum in fide. Illi vero etiam in rebus sibi stricte prohibitis, communicare cum haereticis non verentur. Dicite quæso, unde apud Hebræos tam contempti et abominabiles erant Samaritani? Eam sane ob causam; quod modo se Judæos, modo vero Assyrios et gentiles profitebantur, prout occasio ferebat. Quando enim cum Judæis, agebatur feliciter, Judæos se dicebant esse, ut sub Alexandro Magno, amico Judæorum, teste Josepho, lib. XI. antiq. c. ult. Assyrios autem, quando secus, ut sub Antiocho Epiphane Judæos insectante, ut scribit idem. I. XII. Et nos igitur quomodo pro fidelibus et fratribus agnoscamus, imo quomodo non velut Samaritanos abominemur, qui quacumque oblata occasione, haereticorum mores induunt: faciebant illud Samaritani, ut per hoc sibi consulerent? Et rebus suis, nec tamen ideo excusati erant. Et quomodo excusentur, qui sine ulla causa, mera ex perversitate et libidine cum haereticis (quamtumvis pauperes sint, et qui forte diebus dominicis careant carnibus) carnes devorant interdicto tempore, libros eorum ferunt, eos defendunt, etc. nonne benedicimus, quia Samaritani sunt isti et dæmonium habent?

Secundo, alia est politicorum, qui simulant se fideles, revera tamen fidem omnino nullam habent, sed magis athei sunt. Religionem colunt ideo tantum, quia sine religione politia conservari nequit, nec vulgus coerceri (utpote quae timorem Dei inculcat, judicii minas et supplicii intentat peccantibus, bene merentes praemiis) ceterum religionis hostes sunt, et cum nullam respuant, nullam vere colunt. De Deo et virtutibus optime disputant, in templis ut in aulis; primi haberi volunt; conciones libenter avidaeque audiunt; interim insensibiles sunt, et in animi sui secretis per confessionem aperiendis prorsus muti, in propriam conscientiam omnino caeci, liber eorum spiritualis et quasi Thomas de Kempis, est Machiavellus; fidem christianam non nisi pro re quadam civili et politica habent; miraculis non moventur, quia ea vel non credunt, vel praestigis et imposturis adscribunt; Deum non timent, et ideo legibus non retinentur; quidquid per improbas artes, per vim et fraudem acquirere possunt, id pro lege et justitia habent. Quorum politicorum princeps, et nisi fallor, parens dici potest Herodes ille, qui ut hominibus placeret, et interim sibi consuleret, omnibus se accommodabat, nam et in honorem Caesaris templum extruxit, et templum Judæorum novis structuris ampliavit, ut testatur Josephus, lib. XV. antiq. cap. XIII. et XIV. simulabat item religionem erga Christum: *Ut et ego veniens adorem eum.* Sed venit occidere, non adorare, quia regnum suum cupiebat stabilitum; Christi vero deletum. Hunc igitur principem suum sequuntur politici, qui licet ad speciem catholicissimos sese ostendant, templum visitent, sequuntur divinissimam eucharistiam ac suscipiant, (atque utinam non in hisce feriis visitent et suscipiant instar Herodis) omnibus se accommodent, id totum tamen faciunt ob frustulum panis, quemadmodum canes dominos suos sequuntur. Quid enim temporalia omnia (quae sola isti quaerunt) nisi frustum panis? Quid de hac fide censendum? Minor est quam dæmonum: hi enim aliquam habent, illi vero nullam, vel si adhuc aliquos fidei motus habent, eos comprimunt et extinguunt. Pejor etiam est eorum



perfidia, ethnicorum et Judæorum, quia vident tot et tanta christianæ fidei signa, habent tot incitamenta exempla, adjumenta; quæ si ethnici haberent, nullo negotio, promptissime fidem amplecterentur. Unde et illis remissius erit in inferno: *væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida. Et in Capharnaum, etc.* in qua Christus tot miracula pararat, toties docuerat.

Veri igitur fideles fidem veram habent et sinceram, qualem et inter alios S. Thomas habuit insignem, qui fidem ad extremas usque terrarum oras tulit, eamque Christo sanguine proprio consignavit. Quod si aliquando incredulus fuit, postea tamen constantior fidei præco; nam ex omnibus apostolis remotissimis ac plurimis rationibus prædicavit, Parthis, Medis, Persis, Bactris, Hyrcanis. Quod si igitur secutus es errantem, sequere penitentem.

## CONCIO II.

QUI ET QUANDO POTISSIMUM FIDES PROFITENDA SIT.

I. Quoties exigit Dei gloria. — II. Cum exigit salus proximi. — III. Cum quis in Ecclesiam recipitur.

## THEMA.

*Dominus meus, et Deus meus.* Joan. XX.

Per Moysen prædixit Deus populum Israeliticum in terra promissionis adeo prosperandum: *Ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo,* Deut. XXXII. quod ad litteram significat fore ibi etiam inter petras abundantiam mellis et olei. Mystico sensu impletum hoc videmus in Ecclesia, in qua fideles de multis obstinatissimis, veluti de saxis hauriunt fidei doctrinam et exemplar virtutum. Qualis enim petra, quam durum saxum fuit Thomas, cum adhuc in incredulitate persistens dixit: *Nisi videro in manibus ejus fivuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam?* Qui ab isto saxo expectaret vel guttam fidei? Et tamen ab illo manavit nobis liquor saluberrimus mellis et olei, hoc est, confessio expressa et publica humanitatis et divinitatis Christi: *Dominus meus, et Deus meus,* qualem nemo ante ipsum edidit. Utinam igitur nos omnes sugeremus hoc mel et oleum de saxo hoc durissimo, et ad exemplum Thomæ fidem quomodo, et quando oportet, publice profiteremur.

Præceptum confessionis fidei duplex est. Positivum, ut confiteamur eam pro loco et tempore: negativum ut non negemus. Contra primum peccatur, cum fidei professio voce et actu, quando

oportet, non fit. Scriptum enim est ad Rom. X. *Corde creditur ad justitiam? Ore autem confessio fit ad salutem.* Decet enim ut Deum omni, quo possumus modo, prædicemus, et aliorum notitiæ insinuemus, ut ita in omnibus, quantum fieri potest, honorificetur: item ut de ejus confessione, non modo non confundamur, sed etiam gloriemur. Alioquin enim ipse dixit, Luc. IX. *Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua et Patris et sanctorum angelorum.* In quem locum Chrysostomus, hom. XXV. in Matth. ait: « Si sufficit Christo, qui cognoscit, etsi non confessus fuerit coram hominibus: et tibi sufficiat, quia cognoscit te Christus, etsi non fuerit te confessus coram Patre suo: si autem tibi non sufficit cognitio ejus, non sufficit fides tua. » Multo magis obligamur et subijcitur Deo, quam creaturæ inferiores nobis. Hæ autem nobis servire debent etiam cum suo interitu, quando postulat necessitas, multo igitur magis tenemur nos servire Deo, eumque confiteri.

I. Quoties exigit Dei gloria. Ut cum videt quis indigne tractari, quæ sunt fidei, v. g. eucharistiam aut sanctos, vel eorum reliquias inhonorari, fidem calumniis opprimi et contemni, etc. Æquissimum enim est ut servus, qui videt de honore domini sui agi, in medium prosiliat et dominum defendat, obrectatoribus se opponat. Et certe si terrenorum dominorum honorem ita defendunt servi, ut vitæ discrimini se exponere non dubitent, quanto magis id fieri debet Deo! Gloriosissimum hujus rei exemplum præbuit beatus ille latro, qui adversus socii sacrilegas voces tuendum sibi palam suscepit Christum, cum dixit: *Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es? Et nos quidem digna factis recipimus: hic autem nihil mali fecit,* Lucæ XXIII. similiter fortes illæ mulieres Constantinopolitanæ, quæ (ut est in actis S. Stephani junioris apud Damascenum) cum Leo iconomachus imp. Salvatoris imaginem super portam æneam publice expositam e loco eminenti dejiciendam præcepisset; jamque imposita scala missus satellites ascenderet, divino zelo incensæ scalam dejecerunt, ex quo ille casu extinctus est, ipsæ vero postmodum glorioso martyrio coronatæ sunt. Item christiani illi principes, qui cum a suis legatis, quos apud imp. habebant, intellexissent, Leonem sic insanisse in sanctam Christi imaginem mox omnes conversi adversus imagines imperatoris, eas omnis generis ludibrio et ignominia affecerunt, et contra ipsum insurrexerunt, ut tradit Gregorius papa, in epist. ad Leonem imp. apud Baron. anno 726.

Item cum quis interrogatur non ab aliquo de

trivio, sed a magistratu quam profiteatur religionem; tunc namque dare gloriam Deo debet et fidem profiteri. Si enim hoc in sæculo faciunt milites et alii, sæpe ut nullis minis aut tormentis adigi possint ad negandos dominos suos, amicos, patriam, etc. sed fortissime pro iis stant eorumque causam tuentur, et si secus agerent, reos se perfidiæ agnoscerent mortique obnoxios: non erit hoc præstandum Deo? Scribit Valerius Maximus, l. III. c. VIII. Mævium centurionem Augusti militia celebrem, improvisis hostium insidiis circumventum et ad Antoninum, contra quem militabat, Alexandriam perductum interrogatumque, quidnam de eo statui deberet, respondisse: *Jugulari me jube, quia non salutis beneficio, nec mortis supplicio adduci possum, ut aut Cesari miles desinam, aut tuus esse incipiam.* Cæterum ob hanc constantiam Antoninus incolunitatem ei tribuit. Cur ergo non faciant hoc Deo et divinis legibus Christiani? Itaque sancti martyres interrogati de fide a præsidibus, imperterriti eam profitebantur. S. Diaconus de genere, domo, patria, fide percontanti tyranno in mediis tormentis nihil aliud respondit: *Christianus sum; hoc mihi nomen, genus, patria, doctrina! Aliud nihil sum,* Eusebius, in historia eccles. l. V. c. I. et Patianus episcopus ad Sempronium scribens, ita loquitur: *Christianus mihi nomen est, catholicus cognomen. Illud me nuncupat, hoc ostendit: hoc probat, illo significat,* Beierlinock, in apophth. christ. S. Blandina, quæ Lugduni, teste Eusebio, l. V. hist. c. I. quanto acerbioribus urgebatur suppliciis, ut Christianam se esse abnueret, tanto magis clamabat: *Christiana sum, Christiana sum: eumque talia proferret, novas sibi ad tolerantiam vires sentiebat, et dicebat accedere.*

Item cum aliquis articulus fidei impugnatur ab hæreticis, catholici, maxime qui prope vel inter hæreticos versantur, tanto apertius, et animosius eum tueri ac profiteri debent, ut sic hæretici videant fervorem fidei in illis, adeoque constantem in tuendis dogmatibus animum, suamque ab Ecclesia dissensionem et confutationem. Alioquin enim videremur frivole credere, quod tam frivole tuemur ab hostibus tam acriter oppugnatum. Itaque imitari Davidem oportet, qui cum despiceretur ab uxore sua Michol ludens et saltans coram arca, ille non modo nihil inde motus aut revocatus est, sed potius alacrius perrexit: *Et ludam, inquit, coram Domino et vilior fiam, plusquam factus sum, etc.* II. Reg. VI. Sic in comitiis Augustanis, anno 1530. cum Saxo, et quidam alii principes Lutheri sectæ addicti processionem solemnem in festo corporis Christi, interesse nollent, tamquam res idololatrica foret, Caro-

lus V. imperator et cæteri principes imperii tanto potentius et solemnius eam festivitatem celebrarunt, quando sex principes mutatis subinde gestabant vicibus umbellam, rex Ferdinandus et Joachimus Brandeburgicus comitabantur cardinalem, qui gestabat eucharistiam, imperator nudo semper capite subsequebatur.

II. Cum exigit salus proximi: velut cum alii præsumpturi essent a te negatam esse fidem, tunc enim ostendere debes palam, te id non fecisse, cujus rei illustre exemplum præbuerunt milites christiani apostatæ Juliani. Cum enim is decepturus milites, statueret illis imperialia dona conferre, jussit ante se poni thur et aram, et milites juxta antiquam paganorum consuetudinem, antequam ad se accederent, incensum offerre. Hoc cum alii tamquam idololatricum forti animo respuerent, alii fraudem non advertentes, vel donativo imperiali pellecti, aut etiam repentina jussione permoti fecerunt. Postea cum inter cibos et pocula invocarent Christum, quidam eis insultans: *Quid patimini, inquit, invocantes Christum, quem ante paululum denegastis, dum domum ab imperatore percipientes thus in ignem mitteretur?* Cumque hoc milites audissent, et quod gesserant, agnovissent, statim exilientes publice currebant, atque impetu facto clamabant, Deumque suum et cunctos homines testabantur se Christianos esse, et in ea nomine permanere atque per ignorantiam se fecisse, etsi dici posset, solam manum paganam esse; conscientiam vero nihil simul egisse. Cumque venissent ad principem, projecerunt aurum quod acceperant, et forti voce poscebant, ut reciperet, quod dedisset, et illos occideret, se enim penitentiam agere fatebantur, eo quod improvide eorum dextera peccasset: et stare propter Christum totum corpus pœnæ tradere. Ita fere histor. tripart. l. VI. c. XXX. Ita etiam egit Marcellinus papa, qui timore correptus sacrificaverat; postea facti penitens condemnari a Concilio Sinuesano petiit cilicio indutus; quo renuente et dicente, primam sedem a nemine judicari; proinde suo se ore judicaret, et peccatum fleret, sicut Petrus fecerat; ipse Romam reversus imperatorem adiit graviter eum accusans, quod se ad tantam impietatem impulisset, sicque sequenti confessione priorem negationem compensavit et martyrii coronam accepit.

Item cum vides alios ad fidem non convertendos, vel in eadem stabiliendos, qui alioqui converterentur et stabiliarentur, si tua confessione provocarentur. Exigit enim a te charitas, ut spirituales proximorum salutem procures, tua confessione, etiam cum periculo vitæ tuæ temporalis, ne illos mors æterna absorbeat. Hoc enim